Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2345
Quelle:
Copyright:

dii fixis *Ulysses* hic *Britannicus* obiit a. 1372. Ὁδοιπορικον vero illius avide exceptum, in varias linguas translatum, et sub initia Typographiae frequentius prelo subditum est. Editionibus itaque *Maittairio* memoratis *Italicas* tres *Mediol.* 1480. *Venet.* 1491. *Florent.* 1492. 4. *Germanicas* duas *Aug. Vindel.* 1482. f. *Argent.* 1488. 4. et *Gallicam* unam *Lugd.* 1480. f. addo. Ad calcem nobis subjicitur Index Capitum *primi libri*, ubi, quod mirum, Opusculum tribuitur *Henrico de Creuelt militi de Anglia.* Interpretis fortasse latini hoc nomen est.

XIV. *fol.* 131. p. 2. *Prophecie Abbatis Joachim et quorundam aliorum de statu diuersorum regnorum.* Initium: *Nota prophecia Abbatis Joachim de regno francie in expositione secundi capituli Jeremie* &c. Vides excerpta tantum esse, quae in edit. Opp. *Venet.* 1519. 1525. 4. *Colon.* 1577. 8. plenius cognosci possunt. *Joachimi* fragmina excipiuntur ab aliis, quae sic inchoant: *Quod deus sepe suis electis reuelat archana futura, et inducit arnoldus de noua villa in libro de consummacione seculi exemplo cuiusdam viri omnino illustrati totaliter ad fidei eleuacionem suspirantis postquam miro stilo sub latina facundia reuelatum fuit, sed quia illustratus erat, postquam scripsit non intellexit. Idcirco communicauit cuidam deuoto in christo, qui sibi exposuit et ambo illuminati erant per hoc, postquam communicatum est arnoldo dicto sub tali forma que sequitur.* Ad verba *de consummacione seculi* manus paullo recentior, saltem alia, in margine adjecit: *Ymo in libro de misterio cymbalorum, quem scripsit ad pontificem* (Bonifacium VIII?) *et monachos schale dei* (Carthusienses dioec. Tarracon. in Catalaunia?) Utrumque hunc Librum, de quo apud *Arnoldi* Biographos passim silentium, in uno *Codice* cum multis aliis Theologici argumenti *Arnoldinis* possedit *Gilb. Cognatus Nozerenus*, ut notavit in *Bibl. Gesnerus*, qui utique non dubitaverit *Arnoldum Villanovanum* et *Nouicomensem* (Κωμη, *Villa*) unum eundemque fuisse hominem. Praedictio porro ipsa *Graeciam*, *Ceciliam* (Siciliam) *Italiam*, *Germaniam*, *Yberniam* et *Hispaniam* pervadit et concludit: *Nota hec contingent in XIIII centenario secundum quod dominus arnoldus recitat in eodem libro vbi supra.* Sed rursus manus in margine: *Ille autem est dudum preteritus.* Probe!

XV. *fol.* 133. p. 2. sub titulo: *Remedia contra Epydimiam et morbum pestilentialem* habentur sequentia: I. Excerptum ex Tractatu de Proportionibus *Nicolai Orem* s. Oresmii *de ymaginacione seu fantasia*, ut scribit Noster, hoc initio: *Reuerende Domine quia accidentia anime istis temporibus epidimicalibus aliquando multum nocent, ut puta timor tristium* &c. *Oresmii* Tractatus *cit.* quem *Fabricius* inter Viri inedita censet, pluries lucem vidit,